# TENTAMEN
## PNEVMATOLOGICO PHYSICVM
## DE
# MANCIPIIS DIABOLI
## SIVE
# SAGIS

*AVTHORE*

**DANIELE FISCHERO**

KESMARKIENSI-HVNGARO.

MED. CVLT.

---

*VITEMBERGAE,*

EX OFFICINA KREVSIGIANA.

MDCCXVI.

# DEO,

OMNIVM BONORVM FONTI

# REIPVBLICAE PATRIAE.

# PARENTI.

# PRAECEPTORIBVS.

ET

# AMICIS.

PRIMVM HVNC SVI INGENII FOETVM, EA QVA PAR EST HVMILITATE ET OBSERVANTIA CONSECRAT DEDICATQVE

AVTHOR.



# TENTAMEN. PNEVMATOLOGICO. PHYSICVM. De MANCIPIIS. DIABOLI. SIVE. SAGIS.

---

## I.

Vam perverſa ſit hominum malitia, in agendis non ſolum divinis, verum etiam humanis rebus, neminem dubitaturum fore arbitror: Experientia enim quae omnium rerum optima magiſtra eſt, ut *Aretaeus Cappadox Lib. II. De Morbis Acut. Cap. II.* docet, illud ipſum ſatis ſuperque ob oculos ponit, Scriptaque eruditiſſimorum virorum hac de re plena ſunt. Malitiae autem genera varia ſunt, ſed ab uno fonte promanantia: ſcil. a Diabolo, qui fons omnis mali a Chriſtianis dicitur; Vt enim DEVS omnium bonorum fons: *Omnis enim,* habet: *Iac. I. 17. donatio bona et omne donum perfectum e ſupernis*

*est, descendens a Patre Luminum.* Sic Diabolus omnis mali Author est, cum hoc enim malitia coepit. Quare etiam Manichaei diuersas uidentes operationes e homine prodeuntes, ad duo principia refugiebant, ac unum bonum alterum malum dicebant; Sed omnia sine ratione, nec respicientes ea quae *Moses. Lib. Creat.* docuit, scil. omnia ab uno principio emanasse, quae optime se se habebant, tandem uero degenerasse in malas creaturas, quas nunc Angelos malos, siue Diabolos appellamus.

Inter malitiae autem genera, unum quam maxime mihi euoluendum placet; Sagarum, quoniam cum certior factus sum ex datis ad me literis a *Dno. Daniele Lany. Minist. Cand. dignissimo Kesmarck d. 29. August.* Sagas ualde infestare ciuitates quasdam Pannoniae Superioris, uineasque destruere. Cuius uerba haec sunt. **Kan nicht unterlassen / zu berichten daß unter denn Wein-Gebürgen als in** Talya Mada, **und der Orten mehr / sehr viel Hexen und Zauberinnen gefangen sitzen / und noch jemmer mehr eingezogen werden / welche erschröckliche Thaten bekennen** addit, *si adesset Christ. Thomasius Hallens. lubens concederet dari sagas* Et ab alio quodam Amico. *Dno. Dauid. Frühauff. Minist. Cand.* ex Literis *d. 27. Iulii* percepissem, grandinem in uineis magnum fecisse damnum; Ita enim scribit: **Berichte daß in denen Weinbergen der Hagel grossen schaden gethan hatt / bevoraus in** Talya, Benye, Mada, etc. **daß der** General Traut **sohn sonsten** 700. **auch** 800. **Faß bekommen / jetzo nicht ein eintziges zu hoffen hatt. Deß Herrn** Pitschke **seine** 12. **Wein-Gärten sind völlig ruiniret**, etc. Ex quibus assertis, multae cogitationes

animum subierunt, an huius detrimenti Sagae causa sint ? Id quod ut inuestigarem, et rationibus naturae consonis demonstrarem amicus quidam impetrabat, cui tamen statim recusaui, agnoscens tenuitatem, quae huic labori perferendo insufficiens erit: Attamen persuasus, tandem aliquid in chartam conieci, et sub hoc Schemate typo tradidi. Si ergo errores quidam irrepserint, errare enim humanum est, eos ut L. B. corrigat, obnixe oro, rogoque.

II.

Solet uero haec eorum malitia proprio nomine indicari, scil. Magiae; sed obseruandum est, uarias esse species magiae, et uocabulum illud, tam in bonam, quam malam partem interpretari posse, quod et ipsae *Literae S.* testantur. Hinc etiam Philosophi eam dicunt aliam esse naturalem seu licitam, aliam uero Daemoniacam seu illicitam. Illam non solum Patriarchae et Reges annotante *Scriptura S.* et *Iosepho Antiquit. Iud.*; uerum etiam Philosophi uariarum nationum, ita, ut nonsolum Ebraei, sed et Graeci, inter quos quam maxime eminebat *Thales Milesius*, unus e septem sapientibus, a quo et Aegyptii artem Magicam accipiebant, prout fatetur *in Epla ad Pherecydem.* Item Chladaei, Persae, et Indi, imo ut *Sperlingius in Diss. I. De Magia Nat. Proem* loquitur, totus oriens tractaret. Atque haec ut fieri consueuit, in malitiosam conuersa, et laudibus, quibus naturalis excipitur, exclusa, ac Satanae consilio relicta; cuius in diuinationibus, incantationibus, imo et producendis mirabilibus effectibus utuntur. Atque hanc negare non est ueritus *Beckerus in Mund. fascin.*

*Lib. III. Cap XIII.* Contra quem egregie ſe geſſerunt plurimi eruditorum non ſolum Theologorum, uerum etiam Philoſophorum. Contra quem ſufficiet h. l. in medium afferre, quod *CL. Martius in Tr. de Magia Nat. eiusque uſu Medico Cap. I. §. I. ſub Lit. d.* aduerſus eundem, commemorat; *At uero*, inquit, *quamuis negari nequeat, philoſophos, aut arcanorum naturae peritos, hinc inde apud Sacros aeque ac prophanos ſcriptores magos appellari; hoc tamen et liquido conſtat, multos uetterum magorum peculiarem ſapientiae partem conſtituiſſe, habere commercia cum daemonibus, eosque ad obſequium ſuum flectere poſſe. Ex Magis quidem Aegyptiacis patet, illos tempore Moſis ea effeciſe*, hoc ipſum tamen negat *CL. Frid. Homffannus in Tr. De Potentia Diaboli in corpora §. VI. quae homo ſuis uiribus per uirtutum naturalium ſeu arcanorum naturae cognitionem perficere nunquam poterat.*

## III.

Vt autem tractanda materia liquido ſit, prius traditurus quaedam de Nomine Sagarum, ubi notandum uocem ſaga eſſe adiectiuum Sagus. a. um. unde etiam ſagax ingenium dicitur. Alii dicunt propterea ſagam appellari, quia ſatis agat; Verum ne his inhaeream, ſufficit ſcire ſagam inde dici, quia putabant homines, miros effectus eas edere, qui uix ab homine alio edi poſſunt, adeoque praecaeteris ingenio Sagaci gaudere. Plura de nomine ſagarum qui ſcire cupit, is adeat. *Valent. Alberti diſſ. de ſagis Cap. I.*

IV. Quid

## IV.

Quid autem perhos homines intelligam, non opus erit ut pluribus mentem explicem, quia notum eſt, ea eſſe mancipia Diaboli, cum Daemone pactum ineuntia, intendentiaque conatum malum in actum deducere, in detrimentum piorum. Notanter dico ſagas eſſe mancipia Diaboli, quia nullum eſt diſcrimen faciendum inter ſexum, ac ſi foeminae ſolae hoc opus cum ſatana ineant, ut *Alberti l. c. Cap. II. §. II.* egit, qui foeminas loco generis appoſuit, quia ad perſuadendum aptiores ſunt, ut Eua, quae a Diabolo decepta, tandem et Adamum ad peccandum perſuadebat. Quare etiam *Aeneas Syluius* qui Pontifex factus Pii nomen accepit, teſte *Schneidero in diſſ. de Ord. foem. Equeſtr. §. I.* mulieres pabulum diaboli uocabat. Verum enim uero proſtant innumera exempla uirorum, qui ſe quoque ut ſubditos diaboli pedibus ſubiecerunt, quale Exemplum ipſe *Alberti l. c. §. IX.* refert, de Saga, quae tres filias et filium ad ſatanicum opus perduxit; Vt alia hic taceam, quoniam tanta copia exſtant apud ſcriptores infra nominandos, quae rem ſatis ſuperque affirmare conantur.

## V.

De exiſtentia Sagarum propter aduerſarios quaedam etiam notanda ueniunt, quoniam per multi ſunt qui ſagas negant ſine ratione, quidam uero illuc dilabuntur, ut ex perſuaſione Satanae illud etiam negent. Ad illorum claſſem pertinet. *Petrus de Apone Med. Doct. teſte Bodino Demon p. 7.* qui perhibebat

bat nullos existere spiritus nec sagas, *Beckerus l. c.* idem etiam sentit, aliique plures recentiorum Philosophorum. Ad horum uero spectat *Guil. Luranus Theologus* qui Satanae iuramento promisit, se nihil dicturum de Magis s. Sagis, sed publice docturum ea quae de his narrantur esse fabulas. Aliique plures, quos hic afferre chartae angustia non permittit. Contra hos urgeo. I. Exempla. Sic *DelRio* ex Chirlando *Lib. II. sort. §. II.* refert Mulierem sabinensem quae non solum maritum ad congregationes suas duxerat, sed omnia sua, quae ex indulgentia Satanae habebat, illi detexerat. *Bodinus quoque in Praef. Demon. p. 2.* de Iohanna Haruilleria refert, eam 12. anno aetatis suae, pactum cum daemone iniisse, sibique apparuisse uti ipsa fassa est, in specie hominis atri staturam humanam excedentis. Vt alia exempla hic praeteream. e. g. de Medea Regina Iasoni desponsata, de Ancilla B. Waltheri, aliaque, quoniam otium mihi fecerunt in enarrandis Exemplis. *Schottus, Bodinus, Gaehausius, DelRio, Ghirlandus, Sprengerus, Remigius, Carpzouius, Gödelmannus, Psitzerus, Dan. Fabr, Lambertus Danaeus,* aliique. Qui itaque plura desiderat exempla, operationesque sagarum, ad hos Authores remittitur. II. Rationes, quae existentiam et horum exemplorum nonsolum, uerum etiam, quod instar omnium esse debuit, Exempli quod hoc anno contigit in ciuitatibus quibusdam Pannoniae superioris, uti ex §. I constabit, ueritatem comprobant. Ratio. I. Quia omnes gentes illud ipsum agnouerunt non tantum, sed et ut ueritati consonum admiserunt. (2.) Desumitur Ex scripturae S. exemplis passim exstantibus. (3.) Ex diaboli astucia, qui nocte dieque plateas obuersatur, ut

rapiat

rapiat quosdam sibique subditos faciat. (4) Ex operibus quae haec mancipia praestant, quaeque nulla ui naturali edi possunt. Ex quibus allatis, uerum esse illud, quod *F. Hoffannus. L. c. Proem.* tradit patebit: *Enimuero*, inquit, *his breuiter reponimus, cum ad facti cuiusdam confirmandam ueritatem bini aut terni testes omnium gentium consensu sufficiant, nos quidem suspicari non posse, cur ea demum neganda uideantur quae omnium hominum memoria, ab uniuersis gentibus credita, a Theologis pariter ac Philosophis et Medicis prudentissimis miro consensu obseruata, sacri codicis testimonio firmata, et tot denique magistratuum edictis ac iudiciis, ipsaque rerum confessione stabilita legimus.*

## VI.

Iam de pacto Diaboli cum his ueneficis aliquid dicendum est; Antequam uero id ipsum euoluere incipiam, prius suppono id uerum esse quod negat *Antonius uan Dale*, *Beckerus* aliique, scil. existere Diabolum. Quoniam ipsi Philosophi licet gentiles, hanc doctrinam admiserunt, uti testatur *F. G. Vennetus Harmon. Mund. Cant. I. Ton. VI. Cap. XXXII. Esse itaque*, inquit, *Angelos*, intelligit bonos et malos, *ne dum Sacra eloquia docent, sed et Philosophi naturales id asserunt, et probant, Plato maxime cum omnibus suis Accademicis, Chrysippus et Aristoteles.* Et de Socrate, *Cardanus Lib. XVI. De Varietate rerum Cap. XCIII. p. 625. Socrates*, inquit, *adeo uerax fuit, ut etiam mentiri pro uita sua nollet, aut aliquid turpe faceret: Sed socrates Daemonium se habere palam affirmabat, non semel uisum, sed toto tem-*

*pore uitae ſuae illi familiarem, qui ſemper eum de hortaretur, hortaretur nunquam; igitur Daemones ſunt*, et *p. 632.* hiſtoriam Daemonii ſocratis refert. An uero haec Philoſophi, ex natura agnouerint, uel ex relatione acceperint? ut *Woſſius Lib. I. de Orig. et Progr. Idol. Cap. VI.* tradit, aliis diiudicandum relinquo. Ego. h. l. de exiſtentia Angelorum malorum ſententiam probaturus, urgeo argumentum illud uulgare Pneumaticorum. uidelicet obſeſſos, qui uarios imo mirandos effectus edunt, linguasque uariarum nationum loquuntur. uid. *Donatus Pneum. P. ſp. Sect. I. Cap. I.* Quamuis id ipſum praemi difficultatibus dicat *Aepinus Introd. in Phil. Part. IV. De Theol. Nat. Part. I. Sect. I. Cap. IX. §. V.* ſed ſine ſufficienti ratione. Poſſem quidem oracula gentilium, et ſpectra urgere, ſed ſufficit ſola Scriptura S. quae expreſſe docet dari Angelos bonos et malos, cui diſſentire non eſt Chriſtiani; ſed Athei, qui plane in DEVM non credit.

## VII.

Pactum Sagarum cum Satana aliud eſt explicitum, aliud implicitum; Explicitum illud dicitur, cum quis ſatanae ſub uiſibili ſpecie ſtipulata manu, imo ipſo ſuo ſanguine promittit ſe ei obtemperaturum in omnibus. uid. *Remigius Lib. I. Daemonola. Cap. LXVII.* Implicitum uero, illud appellatur, cum quis ſciens uolensque ſuperſtitioſis utitur rebus. vid. *Taurellus De Magia Lib. IV. Cap. XXVIII.* quae omnia ut multis exemplis rationibusque comprobem neceſſe non eſt, quoniam confeſſiones ſagarum rem palam faciunt, adeo-

adeoque eas pro allatis militare relinquo. De Commercio tamen fusius differendum erit: Vbi notandum, dari praeter citatos Authores, qui Diabolum negant, etiam quosdam, qui licet affirment existere Satanam, tamen negant, Daemonem sub apparente quadam specie illis apparere auxiliumque in proximi detrimentum ferre, uti existimauit *CL. Christ. Thomasius in diss. de Crimine Magiae* aliique, cui sententiae ansam dedisse *Cartesium* demonstrauit *Hoffmannus. l. c. §. II.* Verum enim uero, lubens largior, Diabolum corpus Physicum assumere non posse, sed tamen immaginarium et apparens, qualia exempla multa refert: *Frommannus in Tract. de fascinatione.* Quemadmodum enim uariae figurae repraesentantur in nubibus, sic et diabolus, qui experientia edoctus uarie radios reflectere, refrangere, et uarie disponere potest, et repraesentare umbram figurae alicuius creaturae uiuae uel demortuae. Quare etiam recte *CL. Homannus l. c. §. XII. Ipsum Daemonem*, inquit, *uarias species corporum phantasticas, tam hominis quam animantium ex äere uaporoso sub luce et umbra uarie ct artificiose collecto, commode induere posse, etc.* Hinc etiam multi homines decipiuntur, cum umbram uident, putantes esse diabolum uel spectrum aliquod, qualia exempla multa apud scriptores leguntur. Recte ergo docuisse *Gaffarellum Curiasit. inaudit. Cap. V. §. X.* Vmbras circa coemeteria apparentes habere figuram humatorum exteriorem, apparebit. Non tamen, cum haec approbo, sentio cum *Ammonio in Comment. ad Porphyr. Praedicabil.* qui umbras has circa coemeteria aliquando apparentes, dicit esse animas

 demor-

demortuorum, *Ita namque* inquit, *corporum amatrices ſunt animae, ut poſt mortem adhuc eodem amore teneantur; atque ob eam cauſam fieri autumant, quae circa mortuorum tumulos fieri ſolent umbrarum apparitiones.* In quas uero formas ſe transformet Satanas, egregie nos docuit *Meiſnerus in Tract. de Apparitionibus Daemonum. Cap. I. §. II.* qui cum ſufficienter hac de re diſſereret, tandem in haec uerba incidit, inquiens: *Verb. in omnes ſe transformat hactenus formas, atque ut decipiat, nullo colori parcit.*

## VIII.

Commercium Diaboli etiam in opere generationis quidam aſſerunt; docentes Daemonem cum mulieribus congredi, easque grauidas efficere; prouocantque ad *Gen. VI. 4.* et opera Satanae. Verum contrarium his aſſero, et nequaquam concedo Daemonem naturaliter, nec artificialiter grauidam mulierem facere poſſe, hoc tamen largior, eum quidem congredi poſſe, ſed ſine ullo effectu, quia requiſita conceptionis naturalia, in hoc opere Daemoniaco non reperiuntur, ergo nec effectus. Quod uero Locum ſcripturae S. attinnet, in quo de filiis DEI ſermo eſt, illud non eſt inſtituti ut explicem; uideantur tamen interea *Pfeifferus in Praef.* der Erquick Stunden et *Biſſelius in Ruinis Illuſt. Dec. I. p. 287. et 88.* copioſius hac de re diſerentes. Sed illud argumentum ab operibus deſumptum, hic erit examinandum. Docent itaque, (ſcientes iam ſe uictos eſſe diabolum non habere ſemen, quia ſpiritus immateriale, ſemen

ſemen uero materiale quid eſt, et materiale a ſpirituali procedere, ratio humana concipere nequit, et ſpiritus alimenta non ſumunt,) licet ſcriptura S. teſtetur Ipſum DEVM angeloſque cibum ſumſiſſe, ſed haec non phyſice ſed moraliter et Theologice explicanda ueniunt, (iam uero, notum etiam eſt ex phyſiologicis ex cibo fieri chylum, ex quo ſanguis et omnes ſucci corporis noſtri emanant, per conſequens etiam ſemen, ſi itaque cibum non aſſumnut, nec ſemen ſcernetur, poſito enim uno, ponatur et alterum neceſſe eſt, abſente uno, deeſt et alterum.) Satanam habere ſemen per accidens, i. e. affert, ex aliis corporibus ſemen, idque in coitu ſubiecto immittit. Verum legitrima conceptio non admittit tales ambages, et quod Daemon in aliis praeſtat, hic non praeſtare poteſt, qua omnia eius opera a permiſſione DEI dependent, DEVS uero illi hoc opus non permittit, ergo nec efficit. Prouocant tamen ad exempla, quale nobis refert *Capzouius Prax. Crim. Part. I. Q. L. n. 66.* Sed his exemplis egregie reſponderunt uiri doctiſſimi, ex quibus ſolum *Pomarium in Colleg. Phyſ. Synopt. Diſp. XIII. Poſit. III. §. IV.* adducam, qui ad exemplum quod *Carpzouius l. c.* tradit, maſcule reſpondit; ne itaque dicta ab aliis dicere uidear, hanc rem ſilentio lubens praetereo.

## IX.

Neque hoc uerum eſſe arbitror, quod Sagae ſpargunt, ſe ad diabololi conuenticula conuenire, hinc multa uerba faciunt de monte Bructero dicto, quoniam

niam proſtant exempla, quae contrarium affirmant. Sic enim *Gödelmannus in Tract. de Magis Lib. II. Cap. IV.* cuius haec uerba ſunt. *Mulier quaedam Megalopolitana in crimen uocabatur, acſi in conuenticulis ſagarum in bructero ſoepius interfuiſſet. Fidem rumori denegabat Dominus Nobilis, cui mulier iſta ſeruiebat. Exploraturus tamen rem, cauſam cognouit, et a muliere tulit reſponſum, cras eo ſibi eſſe auolandum. Nobilis adſcitis Paſtore et domeſticis, mulierem diligenti cuſtodia ſeruabat coram, quid de ea futurum ſit, ſpectaturus, ſed miſera illa unguento quodam ſe illinens, tam alto obruebatur ſomno, ut nec illa nocte, nec poſtridie illa poſſit excitari. Expergefacta demum, una cum, aliis ueneficis in Bructero ſe fuiſſe obſtinanter aſſeuerabat nec errorem hunc ex animo ſibi euelli patiebatur.* Ita *et D. Lutherus Tom. I. Ienenſ. f. 126.* ex *Keiſersbergio* refert de uetula quadam, quae praedicatorem, qui talia pronunciabat eſſe falſa, ad arguendum mendacii, ſerio uocabat, eoque adſpectante ſeſe inunxit et ſedens in furca cum iam uolare uellet, obdormiuit. Cur uero *Alberti l. c. §. XXXVII. Cap. II.* diſtinguat inter adductionem ueram et apparentem, ac ueram illam dicat, quando reuera atque σωματικῶς tranſportantur; Apparentem uero, *quando*, ut eius uerbis utar, *incantationibus Diabolicis deluduntur, ac ſomniis ecſtaticis atque profundis, mentes illarum obfaſcinat ueterator*, neſcio qua de cauſa. Quod ſententiam meam attinet, concedo *Dno. Alberti* traſportationem apparentem, nego tamen atque pernego ueram. Quoniam e loco in locum homines transportare diaboli non eſt poteſtas, homo enim fluido △is uel bis centum ac ultra uicibus praeponderat, annotante

*Hoffman-*

*Hoffmanno l. c. §. VI.* adeoque naturaliter fieri nequit; Sed esset inter miracula notandum, iam uero miracula edi non pssunt a Satana, sed solo DEO qui ius habet in ordinem naturae, si uero quaedam efficit, tamen hoc consentiente natura peragit, uti ipse fatetur *Alberti l. c. §. XXV.* Excipitur tamen ab eodem *Authore Quae enim*, inquit, *hac in parte est bonorum Angelorum potentia, ea et malorum*, atque hoc suum dictamen confirmare conatur exemplo Habacuci, ex quo concludit, si angelis bonis id competit, ergo et malis, una enim eademque sunt essentia. At enim uero huic sententiae breuiter reponere uolo, dicoque ab essentia Angelorum bonorum ad malorum non ualere argumentationem, licet hi spiritus essentia ipsa non differant, tamen in facultatibus non consentiunt conueniuntque. Argumentor ergo et ego: Adam (in statu innocentiae constitutus) et posteri eius conueniunt materia et forma, sequeretur ergo etiam eosdem conuenire sapientia, sed quantum distamus ab illo! Quod uero ad exemplum Habacuci attinet, qui Daniele iussu DEI obtemperans cibum in carcere sedente ad portabat, ut ex S. Literis constat. Respondetur ad illud: Quod a DEI potentia ad diabolorum argumentari impium sit, DEI enim hoc erat opus non Angelorum. Quidcunque enim Angeli Omnipotentiae DEI ope praestant, illud Daemones praestare nequeunt, quia sunt spiritus a DEO in uincula detrusi, et tenebris crassis inuoluti. Prouocabit tamen aliquis ad exemplum saluatoris, de quo mihi non est h. l. sermo faciendus, quia institutum non permittit

et

et a *Valaeo in Comment. ad N. T.* egregie explicatum est, ad quem et B. L. remitto. Vrget tamen et confessiones sagarum: *D. Alberti*, quae tamen argumentio nulla est. Datur enim affectus quidam, qui a Medicis Melancholia dicitur, quo affectu laborantes homines sibi persuadent inter alia se esse mortuos cum tamen reuera uiuant, et mors in illorum immaginatione consistat: Sic etiam cum his mancipiis euenire potest, ut sibi immaginentur, uel a satana illudantur, ut haec sibi persuadeant. *Totus enim* ut loquitur *Grünebergen. in diss. de Vmbra Cap. I. §. XX. in eo est satanas, ut illudat sensibus externis, et elludat internos: Et quia malus est, mala malitur. Qui olim in coelo bellum, in paradiso fraudem, inter primos fratres odium et simultatum offensas seuit, nunc ex elementis sibi aptat corpus, nunc adstantium oculos fascinat, ut nullo praesente corpore, corpus uidere se putent, sed quod ex improuiso soepe uelut umbra euanescit.*

## X.

Nec *Bodini* sententia hic locum habet, dum docet in apparente abreptione animam abripi, corpus uero domi manere, quia legibus naurae contrariatur. Quomodo enim anima a corpore separari potest, sine defectu uitae? nam constat, in unione animae et corporis uitam consistere: Si itaque Diabolus animam e corpore abripi, et ei iterum restituere posset, sequeretur eum etiam corpora resuscitare posse, quod absurdum est, et non sine impietate dici potest.

XI. His

## XI.

His missis de operibus magicis disserendum erit, antequam uero id ipsum tractare incipiam, prius supponenda mihi quaedam ueniunt, quibus seu fundamento innitatur, omnis haec sequens tractatio. Suppono igitur (1.) Diabolum nihil sine permissione diuina efficere posse. (2.) Sine ordine naturae daemon aliquid perficere nequit. (3.) Mancipia eius, siue sagas sine consilio satanae nihil in actum deducere posse.

## XII.

Cum itaque opera horum mancipiorum explicanda aggredior, primo loco mihi de tempestatibus erit disserendum, quoniam tantae oriuntur querelae apud homines, imprimis in Hungariae quibusdam ciuitatibus, quod grando aliaque meteora uineis, magnum intulere damnum, ita ut iam ab aliquot annis uinum non generosum, prout solebant, sed acidum protulerunt, imo quasdam Anno 1715. plane destruxerunt. An itaque tempestatum causae efficientes sint sagae? occasione exempli allati, erit inquirendum. Suppono igitur notum esse, uehementiorem Am uentum communiter appellari, uentus uero tempestatum uariarum causam esse, prout duabus ex rationibus comprobauit *Weidlerus* Praecept. pie deuenerandus *in diss. de Tempestatum uariet. §. V.* Ex quibus colligere licet, quidcunque Am mutat, illud et uentus uariet necesse est e. g. Ignes subterranei, Solis et Lunae motus regularis, de quibus uid.

*Magnif. Dnus. D. Bergerus* Archiater Regius acutiſſimus, Praeceptor ad cineres usque pie deueneran- dus, *in Comment. de Thermis Carolinis Cap. VI.* Notum etiam eſt in 🜁e multa colligi effluuia. e. g. Nebulam, Nubes, Fulmina, quae tandem in pluuiam, niues, imo grandinem etc. mutatur, pro uarietate 🜁is. Quibus poſitis, Scriptura S. rationem facilitat, dum *Apoſtolus Eph. II. 2.* Diabolum dicit eſſe dominum 🜁is. Non autem ſentio cum illis, qui diabolum (occaſione huius loci) dicunt dominare in 🜁e ratione creationis, quia omnia in damnum hominum perficeret; ſed ratione inhabitationis, et quoad potentiam certam, qua 🜁m iam in ordine ſuo ad motum conſtitutum dirigit, in poenam et probationem hominum. Si igitur uera ſunt haec allata, ſequitur etiam uerum eſſe ſagas ope ſatanae tempeſtates uariare poſſe. Nam ſi ſatanas poteſtatem habet in 🜁m, et in 🜁e oriri tompeſtates, quid ni id ſagae ope Daemonis efficere poſſent. Cum itaque non ſolum rationes, ſed et exempla proſtent, non uidetur quare illis hanc potentiam denegarem. Exempla autem talia refert *Valuaſor in deſcript. Carniol:* aliique Authores ſupra allegati. Vnum ſolum ex *Schotto in Phyſ. Curioſa p. 164..* traditurus de puella, quae X. aetatis anno, pluuiam, grandines et alia excitauit, atque interrogante Patri reſpondit, ſe haec didiciſſe ex matre, aliaque quae lubens praetereo ne beneuolo L. nauſeam excitarem, quoniam plena ſunt exemplis ſcriptores citati. Ex hoc ſuppoſito fundamento etiam fluit, quod uenatores ſpargunt ſeſiſtere poſſe ignem per incantamenta, quaenam ſit

causa?

causa ? Si enim puluis pyreus madefactus non accenditur a sintillulis, fieri potest, ut daemon per suam potentiam uapores humidos in Ae colligat, pulueremque pyreum in habilem ad ignem capiendum reddat. uid. *Hoffmannus. l. c.* §. *XII.*

## XIII.

Post meteora tractanda uenit quaestio ; An Sagae insecta efficere possint ? Respondetur negando, quia nulla dictitat ratio, quomodo insecta ab his mancipiis effici possint ? ex nihilo enim nihil fit, ut audit Physicorum canon. Dicet tamen aliquis, quoniam adsunt semina insectorum in Ae, facile ea excludi posse incantamentis ; sed nec hoc concedendum, licet dentur seminia insectorum, tamen ea operibus satanicis excludi nequeunt. Hoc tamen largior, daemonem, quia mille fraudium artifex est, insecta e loco in alium transferre, ita ut uicinae eius loci regiones plane liberae his infestationibus sint. Quemadmodum enim satanas lac, pecunias, aliis auffert, suisque mancipiis substituit, sic et cum insectis facile euenire potest, ut tandem credatur sagas haec effecisse, cum tamen per furtum illuc uenerunt. De nouo uero insecta creare non est Diaboli sed DEI T. O. M. potentia, qui omnia creauit, quaecunque in hoc uniuerso reperiuntur, extra quem nullus alius est, nec substitui debet. Atque adeo recte *Hoffmannus l. c.* §. *XVII.* Cum *Vierio de Praestig. Daemon. Lib. II. Cap. VIII.* docet imaginariam fuisse productionem serpentum, de quibus mentionem facit scri-

ptura Sacra, quia mendacium a ueritate abſorberi nequit.

## XIV.

Illorum cauſa qui exemplis imaginariis, et confeſſionibus ſagarum fidem adhibent, dicendum quoque eſt de transmutatione ſubſtantiarum, quam aſſerrere nemo ſana ratione praeditus poteſt, quoniam ut recte docuit *B. Sperlingius Lib. II. Inſt. Phyſ. Cap. IV. Quaeſt. X.* ſupra naturaliter et naturaliter fieri nequit, ſed ſolum in imagitatione horum mancipiorum conſiſtit; Quemadmodum enim Melancholici, teſte *Lommio Obſ. Med. Lib. II. p. m. 60.* ſibi imaginantur, ſe eſſe teſtaceos, pecudes, uita defunctos, ſic et cum ueneficis agere ſatanam (ſenſus uidelicet eorum obſcurefaciendo) firmiter mihi perſuaſum habeo. *Perſtringit* enim, inquit, *B. Lutherus in Gall. III. Diabolus tam uehementer omnes ſenſus, ut miſeri homines putent ſe uidere audire aut tangere aliquid, quod tamen non uident aut tangunt. Hinc* et *Plinius Lib. XXII. Hiſt. Nat. Cap. VIII.* fabuloſam hanc ſententiam pronunciat, quia naturae imo et DEI potentiae contrariatur, id enim quod DEO ſoli competit ſatanae etiam adſcribitur. Quid uero ſentiendum de operatione illa diabolica, qua ſagae ſe aliosque inuiſibiles facere uel indurare conantur, ſit, *Pomarius l. c. Poſit. II. §. V.* egregie explicat, ita ut ea de re plura addere taedeat.

XV. Multa

## XV.

Multa quoque ſaciuntur de praedictionibus ſagarum, nimirum, quod praedicere poſſint, tempeſtates, contagia, annonae caritatem et uilitatem, terrae motus, quae omnia eas praedicere probabiliter poſſe non ibo inficias, quamuis, *Marc. XIII. 6. Act. I. 7.* ſoli DEO adſcribatur notitia futurorum, tamen ex naturalibus cauſis, probabiliter colligere poteſt ſagarum Praeceptor quarum diligentiſſimus obſeruator eſt, ac ſuis Gehennae Candidatis per ſomnia reuelare. Obſeruandum itaque eſt, quod ſagae antequam praeſagire uolunt, ſe unguentis ſuis inungant, atque ſic deinde in profundum ſomnum incidunt, quoniam unguentum illorum ex meris ſomniferis componitur. e. g. Mandragora, hyoſciamo, Croco, Opio, aliisque tam ſimplicibus quam compoſitis, ac tunc dicenda uel praeſagienda illis reuelare. Notandum etiam eſt Diabolum non ſemper uera praedicere, ſed etiam, et ut plurimum falſa, ut ex oraculis uetterum gentilium non ſolum, ſed et euentu ipſo praedictionum, quae a ſagis hodie inſtituuntur, conſtat, quia eſt ſpiritus tenebrarum et Pater mendaciorum. Omnes etiam eius operationes a permiſſione diuina dependent, quae tanquam frenum ſe habet in opera eius, et quod maximum eſt, omnia noſtra facta uel cogitata in manu DEI ſunt, eaque non ſolum, ſed et tempeſtates etc. dirigit ſecundum ſuam uoluntatem. Qua de re ſi quis plura deſiderat, adeat *Peucerum in Tract. de Diuinat. Vierium de praeſtig. Daemon. aliosque.*

## XVI.

Morbis quoque homines infeſtari poſſe a ſagis, ope Diaboli, e. g. Mania, Furore, ſpaſmis, Conuulſionibus, Epilepſia, Melancholia, Linguae aphonia, Doloribus Capitis, Dentium, Haemorhagia, Surditate, Coecitate, Contracturis, Sterilitate, imo Vlceribus peſſimi moris, aliisque affectibus paſſim occurrentibus. Quamuis hos morbos omnes naturaliter fieri poſſe quidam exiſtimant non tamen exinde ſequitur eos non eſſe effectus magicos. uid. *Hoffmannus l. c. §. XX ſequ.* De His magicis effectibus iam teſtatur *Pater Diuinus Hippocrates Lib. de Morbo ſacro*, dum inquit, *Qui primi hunc morbum ſacrum eſſe pronunciarunt, tales homines mihi eſſe uidentur, quales etiam nunc ſunt Magi et expiatores, et circulatores, et quidam arrogantes qui, ſe uehementer pios eſſe ſimulant, et amplius quid ſcire. Hi itaque conſilii ac mentis inopia obuelantes ac praetexentes diuinitatem, quum nihil haberent, quod exhibitum prodeſſet, ut ne manifeſta fieret ipſoram ignorantia, ſacram hanc affectionem eſſe pronunciarunt, et rationibus idoneis collectis curationem conſtituerunt, ſibi ipſis ſecuram, expiamenta offerentes, et incantamenta.* Quae autem cauſae proximae horum affectuum Magicorum, ſint h. l. iam non inquiram, nec de eorum cura, quoniam experientia deſtitutus, tractationem inſtituam, ſufficit mihi hic ſolum nominaſſe morbos magicos. Interea Legi meretur de Morbis magicis, eorum ſignis, cauſis, et curatione, *Martius l. c. Cap. IV. et V.*

XVII. Quae-

## XVII.

Quaedam tandem abſoluta commentatione de operibus, ueniunt dicenda de mediis, quibus mediantibus tam mirandas operationes perficiunt ſagae. Sane, quomodo agant haec media magica dificillime eſt dictu, adeoque ſilentum hic ſententiam meam facio; Quibus uero noceant? multo maius erit inueſtigandum. Conſtat enim ſagas in cruciatibus inferendis, nec reſpicere genus animalium, nec ſpeciem, nec aetatem, ſed ſtatim has uel illas in feſtare, ut multis exemplis comprobauit *Alberti l. c. §. XXX. ſequ.* Idque agunt uel mediate, uel immediate; Mediate cum offerunt uenena ſua. e. g. uel per poma, pruna, pira, Nuces, Oua, etc. uel uermes, qui germanice **Eben** ſiue **Böſe dinger** nominantur; immediate uero Characteribus et ſignis, huic operi diabolico accommodatis, De quarum uirtute egit *Martius l. c. Cap. III.* qui tamen cum iudicio legendus, quia multum characteribus fauet. De ſiglis Medicorum et Magorum etiam egit *Cyprianus in diſſ. de ſiglis Cap. IV.* Fauent autem his characteribus *Theophraſtus Paracelſus, Helmontius, Fernelius*, aliique, ſed neſcio qua de cauſa, quoniam, ſi temporis nulla efficacia eſt, multo minus literarum erit, uidere adeoque non poſſum, quomodo morbus ab his ceremoniis depellatur? Quare cum *Magnif. Dno. D. Vatero Phyſiol. Exp P. ſp. Sect. II. Cap. XVI. Quaeſt. I.* dico, hos impietatis et ſuperſtitionis, imo Daemonis pactum ſiue explicitum ſiue implicitum effugere non poſſe. uid. *B. Sperlingius l. c. Quaeſt. I-IV. Sennerti* tamen monitum hic obſeruandum eſt,

eſt, quod exhibet *Lib. V. Prax. Med. P. IV. Cap. XXIV.* inquiens; *Is DEVM honorat qui DEI opera, qualia ab ipſo condita ſunt, contemplatur, admiratur et celebrat. In DEVM uero iniurius eſt, et impius, qui rebus uires, quas nec a DEO, nec ab arte acceperunt, tribuit.*

XVIII.

De ſignis quibus cognoſci poſſunt haec mancipia, non eſt neceſſe ut multa uerba faciam, quoniam Authores allegati prolixi hac in re ſunt, illud tantum h. l. tenendum eſt, quod ſubmerſio in aquam ſignum fallibile ſit, Id quod exemplo *Gödelmanni*, quod *Pomarius l. c. in Mantiſſa ad Poſit. II. §. V. refert* comprobo, cuius ſunt uerba: *Cum Ao. 1588. ex Boruſſia in Liuoniam proficiſcerer, inuitauit me in uia quidam praediues et opulentus nobilis in arcem ſuam. Hic cum ueneficam ſequente die propter enormia delicta, quae ſua magica et diabolica arte commiſerat iam ad ignem condemnaſſet, quaeſiui num illam quoque prius in aquam ſolito more conieciſſet, ad experiendum, utrum rea eſſet? Eo negante, monui ut id tentaret, (uolui enim ea ratione inquirere, num haec exploratio per aquam frigidam uera eſſet, nec ne?) Sed ecce poſtquam uenefica in aquam proiectatur, ſtatim ſubmerſa fuit. Is poſtea ad me ſcripſit, ſe cum ſex ueneficis tentaſſe idem, at omnes fuiſſe ſubmerſas.*

Atque haec ſunt, quae de ſagis animus erat commentari; Si itaque quidam errores irrepſerint, qui cenſuram merentur, illos benigne Lectorem Beneuolum interpraetaturum ſpero. Caeterum DEO T. O. M. hoc ſpecimen conſecro, eique pro conceſſis uiribus ſemper gratias agam, dicens:

SOLI DEO GLORIA.